Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1225
Quelle:
Copyright:

ſunt: *Que ſi tibi grata erunt id et mihi erit pergratum, ſin minus forte erga te valebunt erit ſatis factum officio meo Vale mi pater et domine preſtantiſſime.* Ejus mentionem nullibi fieri video; quo luce dignius putem, cum res *Alfonſi* I. illuſtret, fugeritque ſolertiſſimum *Muratorium.* Scriptum eſſe paullo poſt fatalem ad *Cajetam* καταςροφν, inde liquet, quod autor *Alfonſum* captivum deploret, quem jam ſequente anno 1436. *Philippus M. Vicecomes Mediolani* Dux libertati reddidit. Quis vero autor hic *Theodericus?* Prodiere 1484. *Coloniae* per *Job. Koelhoff Job. Gerſonis* Opera Tomis III. adjuncto quarto, qui inter varia Aliorum Opuſcula continet *Theoderici Vrie* O. Erem. S. Aug. Hiſtoriam Concilii *Conſtant.* inſcriptam: *de Conſolatione Eccleſiae* dicatamque *Sigismundo* Imp. Hiſtoriam hanc reproduxit *Herm. von der Hardt* T. I. P. 1. *Conc. Conſtant.* vitamque *Theoderici* hujus ex Scriptorum antiquiorum teſtimoniis digerere conatus eſt. *Germanus* eſt illi, cognomine *Vrie*, quaſi *Frey* diceres, lectorque Conventus *Osnabrugenſis;* non tamen diſſimulat vir ingenuus legi in *Bibliotheca Hiſpaniae*, quae *Andreae Schotti* eſt, T. II. *Francof.* 1608. p. 268. 4. *Theodoricus Vrias Hiſpanus* (O. Erem. Aug.) *Vir non contemnendæ eruditionis reliquit opus de Conſolatione Eccleſiæ Argentinæ olim excuſum. Floruit ad annum Chriſti M. CCCC.* neque negat, fieri potuiſſe, ut *Hiſpanus* Theologus in *Germanicis* monaſteriis ageret. An Concilii *Baſileenſis* tempora adtigerit, incertum eſſe ait. At *Job. Schiphowerus* ejusdem Ord. Conventus et Seculi in *Chron. Comitt. Oldenburg.* c. 9. teſtatur illum circa an. 1446. ſuperſtitem fuiſſe. Quidni igitur, quemadmodum *Conſtantienſi* Concilio interfuit, intereſſe potuit et *Baſileenſi?* Atqui autor *Narrationis* noſtrae *Theodericus* ex *Baſileenſi* ſcripſit, ut ſupra vidimus, et *Hiſpanus* fuit, ut *Particula VIII. Narrat.* liquido demonſtrat, qua ad Regem *Caſtellae* ſe convertit, eum *Principem et regem noſtrum inviciſſimum* et *noſtre inclite nacionis amplificatorem* compellando. In *Theoderici Vrie* porro Opere *de Conſolat. Eccleſiae* nullius pariter Principis praeter *Sigismundum* Imp. fit mentio, quam *Ferdinandi* et *Alfonſi* V. *Aragonum*, idque eo animi ſenſu et adfectu, cujus nulla in homine *Germano* adparet ratio. Cum itaque et ſtilus utriusque Operis mire congruat, quid vetat opinari utriusque eundem eſſe autorem *Theodericum Hiſpanum*, pro vacillante illius aevi orthographia *Uriam*, *Vriam*, *Friam* dictum, donec certiora quis e *Germania* vel *Hiſpania* doceat.

V. *fol.* 42. rubro *Incipit ſompnium morale pharaonis ad dominum Theobaldum regem Nauarre.* Initium: *Uictorioſiſſimo Principi poteſtates aereas debellanti domino Theobaldo Regi nauarre magnifico Campanie ac Brye Comiti paladtino*